Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36522
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

occidentalem basilice. Que res puerilis ludus
uideretur non a magnis et spiritualibus uiris potest apostolicis
uiris statuta crederetur. Atque ideo tanto magis
sacratius quid in tali facto sit reconditum requiren
dum est quanto minus non intelligentibus uile potest
uideri. Sciendum est tamen sicut superius dictum est omnia
que in talibus fiunt dominum exemplum precessisse. et quod
in illo precessit in successoribus imitabile re
mansisse. Supra namque pontifex tantum in ora
tione fundit. nec non uero iam alfabeti ordinem per futu
ram ecclesiam sub certe significationis mysterio
describit. Quod autem per alfabetum non initia et rudi
menta doctrine sacre intelligi conuenit. Unde
apostolus hebreis exprobrans dicit. Et enim cum deberetis
magistri esse propter tempus. rursum indigetis ut
uos instruamini que sint elementa mundi et
exordia sermonum dei. Scribit ergo pontifex
alfabeti ordinem. cum fidei docet simplicitatem.
et dicit cum paulo apostolo. Lac uobis potum dedi.
non escam. Nondum enim poteratis. sed nec adhuc quidem
potestis. Sicut enim paruulorum eruditioni congruit
primum litterarum elementa cognoscere. deinde
ad sillabas. ac post per uerba paulatim ad senten
tiarum cognitionem peruenire. sic quidam gradus
sunt intellectus in familia sancte ecclesie. Quorum
primus est eorum qui uiuentes simpliciter. non tamen ad
robur doctrine proficientes. quasi primis elementis
sunt contenti. Sed quomodo eadem elementa scribi de
beant attendamus. Non passim sed distincto or
dine ab angulo sinistro orientali usque in
sinistrum angulum occidentalem. Ac primum scien
dum quod .IIII. anguli basilice .IIII. designant
plagas mundi. ad quas peruenit doctrina
ecclesiastica que per litteras significatur intra de
scriptas. Quod autem alfabetum ibidem describitur
predicatio euangelii simplex et pura insinuatur.
In alfabeto enim nichil duplicitatis nichil

falsitatis incurrit. quia euangelica puritas nil fu
catum nil appetit falsum. sed simplici ueritate
subnixa. externam prorsus respuit falsitatem.
Quod ab angulo orientali in angulum occiden
talem primus uersus desinit. iterumque orientalis
angulus in sinistrum angulum occidentalem.
duplici figure adgaudet. Quorum prima est quia
in tali scemate crux figuratur. ut doctrine
euangelice mors Christi semper inseratur. In crucis
enim effigie littere figurantur. cum simplicibus
quibusque mors Christi simpliciter innuitur. Unde
paulus quibusdam talibus ait. Nihil enim me iu
dicaui scire inter uos nisi Christum Iesum et hunc cru
cifixum. Quod uero ab angulo sinistro orientali [scribere incipit] usque
in angulum occidentalem. angulus sinister
iudaicus intelligitur populus. Unde et idem an
gulus orientalis est ex quo ortus est dominus noster.
peruenit autem usque in angulum occidentalem pon
tifex scribendo. quia cum dominus noster a iudeis ortus
sit. mors tamen eius a gentibus est suscepta. Siue
angulus orientalis natiuitas. occidentalis
eius ascensio. in qua occidit. id est postea nobis ap
paruit. Scribit enim lucas ab angulo ori
entali sinistro. usque in angulum occidentalem
dextrum. quando primo sermone fecit de omnibus
que cepit ihesus facere et docere usque in diem qua
precipiens apostolis suis per spiritum sanctum quos elegit assumptus
est. Sed cum uersus idem ab angulo orientali dextro
reuertitur ad angulum occidentalem sinistrum.
hoc indicare uidetur. quia cum plenitudo gentium
introierit. tunc omnis [israel] saluus erit. Utrumque
ergo populi collectionem. duo uersus isti significant.
in una tamen crucis compage. Hinc est quod iacob
cum filiis ioseph benediceret. cancellatis ma
nibus effigiem crucis faciens. dextram manum
super effraim minoris. sinistram autem super [caput] ma
nasse maioris posuit. significans quia